

GÁLEOT. DE PETRAMALA]

Aretinus, ut suprà pag. 710. observatum est.

Anno M C C C X C I V. interfuit electioni Benedicti XIII. & paulò post scripsit gravem epistolam ad cives Romanos; in qua eos primò redarguit quod ipse fuerint auctores schismatis, deinde hortatur ut eidem Benedicto, quem multis laudibus ornat, obedientiam praestent. Hac epistola habetur in codice 821. bibliothecæ Colbertinæ.

Anno sequenti interrogatus à Ducibus Francie an approbaret viam cessionis inventam Lutetiaz in consilio regio dixit, ut est in veteri codice archivi regii Parisiensis, se firmi-
miter tenere quod Rex & Domini nostri habue-
runt & habent factum Domini nostri Papa &
Ecclesia universalis recommendatum. Quo pra-
supposito, dixit quod visa opinione Regis, qua
est via cessionis, ipse tenet in sua conscientia,
si per hanc viam cessionis pax & unio Ecclesia,
possit haberi, & intrusus renuntiare velit, quod
Dominus noster Papa renuntiare debet. In to-
mo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 141. ad-
ditur: Ultra dixit quod Cardinalis Pampilo-
nia cedulam de qua sit sermo scripsisset & di-
teauerat, tunc afferens sic illam facere & tam
fortiter valitatam quod nullus Cardinalium ipsi
posset contrarie. Scriptam fuisse manu Cardi-
nalis do Petramala patet ex his quæ referen-
tur in extrema pagina harum Notarum.

VIXIT LÀ V DABILITER] Vide,
diversa hominum judicia. Hic auctor Galeo-
tum laudat quod semper permanerit in obe-
dientia Clementis VII. neque imitatus sit Pi-
leum de Prata, qui solita levitate transgres-
sus erat in castra Bonifacii noni. Contrà Odo-
ricus Raynaldus an. 1386. §. 11. Pileum lau-
dat quod ab apostasia resipuerit, & Galeo-
tum, quem vocat hominem recordem, in sce-
lere computruisse ait. At si verum amamus,
istæ verborum contumeliaz ferri illo tempore
poterant inter homines diversarum partium.
Sed nos, qui causas illorum odiorum procul
habemus, qui fruimur pace Ecclesiæ quam
sacrosancta Conocilia Pisanum, Constantiense,
& Basileense nobis pepererunt, debemus ab-
stinere à verbis injuriosis adversum mortuos,
sisi si aliquorum injuriosa & facinorosa vita,
uti quandoque fit, illa extorquet.

Obiit Viennæ ad Rhodanum ex morbo cal-
culi; ut docet, qui tum erat apud Avenionem,
Nicolaus de Clemangiis epist. 12. in qua il-
lum mirificè laudat. Hinc ergo liquet falli-
cos qui Galeotum mortuum esse aiunt apud
Assissium vel apud Avenionem. Illum Hiero-
nymus Garimbertus pag. 447. scribit mor-
tuam esse in monte Alverna in summis Apen-
nini jugis ibique sepultum in Ecclesia fratrum
Minorum. Errat sane dum scribit illum re-
diisse in gratiam cum Urbano sexto. Nam id
falsum esse manifestè patet ex epistola ejus ad
Romanos suprà commemorata, & ex eo quod
mortuus est Viennæ. Ad hunc Cardinalem
idem Nicolaus scripsit epistolam quintam &
sextam.

1363 1364